

de quo ut eò feliciter judicemus, primùm utriusque partis, cum affirmantis, tum negantis, fundamenta exhibebimus.

§. 4. Pro negativâ sententiâ tria adduci possunt. I. quod Deus aliquoties testatus sit, se gravissimè averfari, & execrari victimas humanas; & imprimis Deut. XII. 31. non sine pondere declaraverit, ipsas sibi *abominationi* esse, dum de gentibus inquit: **כל תועבת יהוה אשר שנת עשו לאלהיהם** II. quod crudelitatis nota, quam DEO impiè impingunt Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi &c. non possit penitus abstergi, si humano sanguine delectaretur, eòque se coli præcepisset. III. quod, si vel maximè in DEO nihil obstat, quò minus hominem in sacrificium postulare potuerit, tamen ex ipsius sacrificii consideratione peculiaris difficultas nascatur. Quæcunque enim in Veteri Testamento ex bestiarum genere in holocaustum DEO offerebantur, ea immaculata esse debebant, sine vitio, non cæca, non fracta, non habentia cicatricem, non papulas, non scabiem, non impetiginem &c. uti constat ex Lev. I. 22. idque tum, ut agnus immaculatus, qui olim peccata nostra portaturus erat, præfiguraretur; tum ut sanctissimæ Puritati Numinis satisfaceret, quæ cultum omnem immundum ac pollutum averfatur. Jam verò omnis homo peccato & originali & actuali contaminatus est, & propterea hostia DEO grata fieri nequit.

§. 5. Affirmativa pars tribus itidem rationibus svadetur. Primò enim homini, qui nullatenus innocens haberi debet, omninò aliquando moriendum erat. Quare uno aut altero anno tempus hoc pacto antevertere non fuisset usque adeò molestum, nec injuriam nobis ullam intulisset; quæ verba sunt Petri Martyris LL. comm. cl. 3. c. 6. n. 19. p. 583. Secundò convertisset DEUS mortem in multò majus & optabilius bonum ejus, qui hoc modo mortuus esset, quàm ipsa vita fuisset; & scivissent omninò, qui fuissent immolati, se æternum cum DEO victuros. Tertiò prostat exemplum Abrahami, qui Gen. XXII. 2. filium offerre disertis verbis jubetur. Cum verò voluntas divina illic non ficta aut illusoria, sed vera & prorsus seria fuerit; sequitur profectò rem mandati non fuisse per se injustam, aut naturæ divinæ contrariam. Nec hîc sufficit dicere, quod fides placuerit, non cædes: quoniam in re illicitâ ac turpi turpis est obedientia. Nec præsidium ab illis peti potest, qui attendentes ad vocabulum **העלהו** solos actus præparatorios ad sacrificium Abrahamo divinitus injunctos esse volunt, ne utiquam verò ipsam Isaacii mactationem. Nam etiamsi da-

retur,